

XXV. Feuda extra territorium domini dari infrequens non est, atque Thuringia nostra id passim testatur, in quæ quamplurima feuda a Sede Moguntina dependent, in territorio tamen Serenissimorum Electoris, & Ducum Saxoniae sunt sita. vid. *supr. c. 1. §. XXXIX. Conf. Cap. Leopold. art. 27.* Utrum vero Jus nostrum feudale per feuda *extra cortem* feuda in territorio alieno sita intelligat, dubito: nec commode textus feudales *I. F. 5. 6. fin. & II. F. 51.* ita explicari possunt. Uti vero per *curtem curia* intelligitur, quod docet Feudista *II. F. 51.* ita præaliis illa explicatio hujus distinctionis mihi placet, quæ habet *Struv. c. 4. §. 18. n. 5. Cui jung. Dn. Rhet. I. F. 5. pag. 160. Dn. Lyncker. ad Struv. d. l. & Dn. Schilt. Instit. J. F. c. 9. §. 12.*

Feuda in corte, & extra cortem.

DE FEUDIS IMPROPRIIS.

CAPUT IV.

F feudum improprium quid sit, ex illis colligi potest, quæ dicta *C. III. §. 1. seq.* ubi pactis inter Dominum & Vasallum in his Naturalia feudi tolli, vel imminui posse, & sic feudum improprium effici, dictum est. Sunt qui arbitrantur præter pacta, & Juris Longobardici dispositione feuda impropria fieri: argumento *II. F. 2. II. F. 10. Vultej. I. F. 8. n. 38.* Sed hisce textibus non præcipitur, ut feudum Soldatæ, quod feudum de Camera, & de Cavena, tanquam species sub se comprehendit, ad hæredes ne transeat, sed exponitur saltem, quomodo ejusmodi feudum in præstatione annua gratuita consistens, quod ex conventionione partium a parte neutra transit in heredes vocetur, & describatur. *Dn. Thomas. de Feudis oblati c. 1. §. 40.* Plane si eo intuitu

Feudum improprium quid? Omne improprium ex conventionione.

L 3

legem